

Henricus II. Imperator Cremonensi Ecclesiæ restituenda decernit eidem ablata
a Gerardo nepote Heriberti Archiepiscopi Mediolanensis:
circiter Annum 1046.

IN nomine Domini Dei eterni . Henricus divina favente clementia Imperator Augustus . Si sanctarum Dei Ecclesiarum Pastoribus ea , que digne a nostris fidelibus apud nostram majestatem postulantur , impendimus , id ad eterne remunerationis meritum nobis proficere non dubitamus . Quocirca omnium Fidelium sancte Dei Ecclesie , nostrorumque , presentium scilicet ac futurorum noverit industria , eo quod Hubaldus venerabilis sancte Cremonensis Ecclesie Episcopus , dilectusque fidelis noster , per Dominum Herimannum reverentissimum Coloniensem Archiepiscopum , & dulcissimum consobrinum nostrum , nostre Regie humiliter retulit potestati , qualiter suam Ecclesiam pene desolatam , multisque calamitatibus & miseriis invenisse attritam . Imperatoris namque dive memorie Chuonradi Imperatoris Augusti genitoris

D nostri tempore Dominus Landulfus prenominate Ecclesie & parti Romani Imperii per omnia semper fidelissimus , gravi infirmitate correptus , in ipsa infirmitate longam protraxit vitam . In cujus longa egritudine sua Ecclesia non modicam passa est jacturam , maxime a Girardo Heriberti Mediolanensis Archiepiscopi nepote , qui audaciâ patrui sui , qui omne Regnum Italicum ad suum disponebat nutum , superbe levatus , quicquid sibi placitum erat justum aut injustum , potestative operabatur in Regno . Invasit itaque Cortem & Plebem de Arciaco contra voluntatem , & sine permissione multum diuque egrotantis Episcopi . Qui cum liquisset infirma , & migrasset ad superos , successit ei Hubaldus Episcopus , noster in omnibus fidelissimus . Cui cum necesse esset , ad Episcopalem Consecrationem accedere , ab Archiepiscopo ut consecraretur

tur impetrare nequaquam valuit , nisi Plebem & Cortem , quam injuste & potestative invaserat , Nepoti suo concederet . Cumque in longum pro hac intentione ejus protelaretur Consecratio , non sponte sed coacte concessit , quod petierat , Consecrationem non aliter consequutus . Quia verò multum moleste ferebat , quod inde fecerat , apud Genitoris nostri excellentiam multociens conquestus est se hoc sponte non fecisse . Cui cum predictam Cortem & Plebem restituere vellet , sepe & sepiissime per suas literas illi mandatum est , ut eas ad partem Episcopii habendas relinqueret . Quod numquam impetrare valuit , sed diabolico instinctu , cui a cunabulis , sicut omnibus tam Italicis quam Teutonicis patet , deservierat , ejus legationem vilipendens , superius dicta detinuit , & alia multo majora ad Genitoris dedecus & vilitatem , invadere non formidavit , scilicet Plebem de Misiano cum omni integritate sua , & Decimam de Castro Aganello ad predictam Plebem de Arciaco pertinentem , & Decimam de Mauringo , ad Plebem de Fornovo attinentem , nec non & medietatem de Castro Cortegano , ad Abbatiam Sancti Laurentii pertinentem . Eo autem in Regno veniente cum comperisset , quod Ar-

A chiepiscopus violatâ fidelitate , quam illi fecerat , Regnum sibi invasere moliretur Girardo instigante & ei omnino suffragante , omnia predicta , sicut reo Majestatis & proscriptione digno , juste ei abstulit , & Episcopo restituit . Sed genitore nostro de Regno recedente , iterum omnia invadere non timuit , spretâ ejus reverentia & timore . Nos verò Episcopatus diminutioni & miserie condolentes , & paternum dedecus considerantes , hec omnia Episcopo eternaliter habenda concedimus , & insuper per Precepti nostri auctoritatem retinenda instituimus ; eâ videlicet ratione , ut nullus Archiepiscopus , Episcopus , Dux , Marchio , Comes , Vicecomes , seu magna parvaque Regni nostri persona , Ecclesiam eandem disvestire audeat . Si quis verò &c.

B (*) Ego Ramundus Notarius hujus exempli exemplar vidi & legi .

Neque immunes pravorum hominum rapinis abiere Cremonenses ipsi Præfules . Quare ad Ottonem III. Germaniæ atque Italiæ Regem confugiens Odelricus ejus Urbis Episcopus , Regio patrocínio se ac sua communivit , uti intelliges e subsequenti Diplomate .